



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

VI. De clericis non residentibus in ecclesiis vel praebendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

ANNO
CHRISTI
1440.

pacto omnino compositionis aut spe alicuius quaestus talia quouis modo tolerant aut dissimulent: alioquin vltra praemissam negligentiae poenam duplum eius quod propterea acceperint, restituere ad pios vsus omnino teneantur & compellantur. Ipsas autem concubinas seu mulieres suspectas praelati modis omnibus curent a suis subditis etiam per brachii saecularis auxilium, si opus fuerit, penitus arcere. Qui etiam ex tali concubinato procreatos filios apud patres suos cohabitare non permittant. Iubet insuper haec sancta Synodus, vt etiam in praedictis Synodis & capitulis haec constitutio publicetur, & quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat diligenter. Iniungit praeterea omnibus saecularibus viris, etiam si regali praefulgeant dignitate, ne vllum qualecumque inferant impedimentum quocumque quaesito colore praelatis, qui ratione officii sui aduersus suos subditos pro huiusmodi concubinato procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum sit, & sub peccati mortalis poena necessario euitandum, monet omnes laicos tam vxoratos quam solutos, vt similiter a concubinato abstineant. nimis enim reprehensibilis est, qui vxorem habet, & aliam mulierem accedit. Qui vero solutus est, si continere nolit, iuxta Apostoli consilium vxorem ducat. Pro huius autem diuini obseruatione praeccepti, hi ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis tantis remedijs cum studio laborent.

V I.

Periculis animarum, quae cunctis operibus praeferruntur, desiderantes occurrere, statuimus, volumus, & sub poena priuationis beneficii mandamus, vt omnes habentes ecclesias, quibus animarum cura est annexa, personaliter in eisdem resideant, aut infra hinc & festum sancti Michaelis proxime futurum nos aut vicarium nostrum legitime doceant, quare in eisdem personaliter residere non debeant nec teneantur. Quia beneficium datur pro-

Concil. Tom. 33.

Tccc

pter officium, statuimus quod quicumque canonicus ecclesie nostrae cathedralis, vel alterius collegiatae nostrae dioecesis, per se vel alium officium suum, quod exhibere debet in ordine quocumque secundum consuetudinem ecclesiasticam haecenus obseruatam, per vnam septimanam continuam neglexerit quacumque de causa vel occasione, decem libras denariorum vsualis monetae ad fabricam eiusdem ecclesiae soluere teneatur. Si vero minus quam per vnam septimanam neglexerit, eandem poenam proportionabiliter secundum ratam temporis persoluere teneatur. Si quis vero per secundam septimanam, vt praedicitur, neglexerit, a perceptione fructuum & reddituum praebendae quam obtinet in ecclesia, penitus sit suspensus, donec poenam soluerit integraliter superius expressam. Qui autem per tertiam neglexerit septimanam, ad nullum actum capitularem, nec ad aliquod stipendium praebendale admittatur, donec de poena satisfecerit memorata, nec non ad arbitrium nostrum, sicut alias sibi duxerimus adiungendum, puniatur.

V I I.

Quia in tantum quorundam processit ambitio, vt non duo vel tria, sed plura perhibeantur habere beneficia: de consilio venerabilium fratrum & patrum nostrorum hoc emendari cupientes, statuimus, & sub poena priuationis beneficiorum mandamus, vt omnes & singuli clerici nostrae dioecesis incomparabilia de iure beneficia retinentes, nobis aut vicario nostro infra hinc & festum sancti Michaelis dispensationes super hoc obtentas indicent &